

4931-6
EXSTIRPATIO OSSIS HUMERI
EXEMPLO FELICI PROBATA

DISSERTATIO INAUGURALIS

QVAM

CONSENTIENTE GRATIOSO MEDICORVM ORDINE

PRAESIDE

SALOMONE CONSTANTINO
TITIO,

PHILOSOPH. ET MEDIC. DOCTORE, ANATOM. ET BOTAN. PROF. PVBL. ORD.
MVSEI ANATOM. ET NATVR. CVRIOS. INSPECT. SOCIET. OECON. LI-
PSIENS, ITEM SOC. MEDIC. ET CHIRVRG. IN HELVETIA SODALI,

PRO

GRADV DOCTORIS

IN MEDICINA ET CHIRVRGIA

D. 25. SEPT. 1795.

H. L. Q. C.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

CAROLVS FRIDERICVS SEEBVRG

SCHKEVDITZIO - MARTISBVRGICVS
MEDICINAE CANDIDATVS.

VITEBERGAE,

LITTERIS ADAMI CHRISTIANI CHARISII.



Chirurg.
327,50

EXTRACTO DE LAS OBRAS DE MARI
EXEMPLEO DE LA PRIMA

EXTRACTO DE LAS OBRAS DE MARI

EXEMPLEO DE LA PRIMA

EXEMPLEO DE LA PRIMA

EXTRACTO DE LAS OBRAS DE MARI

EXEMPLEO DE LA PRIMA

EXTRACTO DE LAS OBRAS DE MARI
EXEMPLEO DE LA PRIMA

EXTRACTO DE LAS OBRAS DE MARI

EXEMPLEO DE LA PRIMA

EXTRACTO DE LAS OBRAS DE MARI

EXTRACTO DE LAS OBRAS DE MARI

EXEMPLEO DE LA PRIMA

EXTRACTO DE LAS OBRAS DE MARI

EXEMPLEO DE LA PRIMA

EXTRACTO DE LAS OBRAS DE MARI

EXTRACTO DE LAS OBRAS DE MARI
EXEMPLEO DE LA PRIMA

FRATRI DILECTISSIMO

IOANNI MICHAELI
SEEBVURG

CHIRVRGO PRAELECTVRAE SCHKEVDICENSIS IVRATO

HOC SPECIMEN ACADEMICVM

PIA MENTE

D. D. D.

AVCTOR.

FRANCIS DICKSON

JOHN WILKINSON

SHEPHERD

CHURCH OF ENGLAND

THE BISHOP OF

WATERLOO

1850



PROOEMIUM.

Chirurgiam, haud vltimam vniuersae artis medendi partem, effectus suos magis conspicuos reddere et vulgi, ad ea imprimis, quae in sensus incurrunt, attenti, maximam excitare admirationem satis superque constat. Haec ipsa quoque in malis, a corpore remouendis, medicina longe videtur esse felicior. Cum enim in partibus corporis solidis sanandis magis versetur, et causae, quas remouere studet, in vno potius occurrant loco, (ad morbos enim vniuersales, in toto corpore obuios, omnesque partes solidas destruentes, hic minime respicimus) non autem in tota humorum massa dispersae sunt; breuiore omnino ac commodiore via easdem tollere potest. Quales vero ambages medico sunt superandae, antequam in partem aegrotam internam agat, ad quam aditus nec manui nudae nec instrumentis armatae patet! Nonne medicamenta magnam humorum massam antea permigrare



oportet, priusquam ad sedem morbi perueniant? et si ibidem deuenerint, quantum de sua efficacia amiserunt! Chirurgum ergo hac in re feliciorum esse medico experientia probat, sed eandem ob causam vitia, in curatione commissa, magis quam errores, in quos medicus inciderit, animaduerti, eadem teste facile intelligimus. Etenim ea, quae circumstant, et felicem sanationis a medico susceptae, exitum impediunt, multo minus reuera et cum certitudine quadam accusari possunt. Medici vero virtus, si praeter accuratam morbi, quem tractat, cognitionem in audacia, qua morbum aggreditur, et inconstantia, qua illum persequitur, cernitur, eadem sane virtutes veram Chirurgi laudem efficiunt. Accurata enim structurae corporis humani cognitione instructus audacia incenditur, constantia firmatur animus, ut finem propositum feliciter assequi possit. Audacia saepius Chirurgum magis iuuat, quam subtilis anatomiae cognitio; illa enim Chirurgum ad rem periculosam suscipiendam impellit, haec ipsum, cum ubique pericula, eaque maiora, quam re vera sunt, videat, a proposito retinet. Quae hic in vniuersum diximus ad amputationem ossis humeri iure transferri possunt. Hac ipsa enim interdum aegrotus omnino seruari potuisset, dummodo periculi, cum hac operatione necessario coniuncti, minorem habuissent rationem. Germaniae igitur Chirurgi timore diutius ab hac operatione abstinerunt, quam in exteris eandem feliciter peragentibus, admirati sunt. Equidem hanc ipsam ob causam exemplum huius operationis, ex praxi mea medico-chirurgica, per aliquot annos inter milites facta, depromam, illudque dignum iudicavi, in quo dissertationis inauguralis argumentum versetur. De *exstirpatione* igitur ossis humeri dicturus, me minime rem nouam atque inauditam tractare opinor, qualis a nemine, qui morbi historiam et curationem perlegerit, iudicabitur; sed huius exempli

pli

pli enarratione pro mea parte aliquid ad huius operationis amplificationem atque historiam conferre studui.

§. I.

In operationes Chirurgis maxime pertimescendas, iure referendam esse extirpationem ossis humeri, vel ex eo probatur, quod historiae eiusdem, in observationum chirurgicarum collectionibus, rarissime reperiantur. Cuius rei causam non in rarioribus extremitatum superiorum morbis, qui amputationem requirerent, nemo quaesiverit. Quod si, vel in praxi civili et priuata, rariora huius operationis fuerint exempla, frequentiora certe in Nosocomiis publicis fuissent. At longe probabilius, non paucos, qui per membri huius amputationem a morbo liberari potuissent, morti, cum nulla adesset medela, succubuisse. Causa ergo amputationis rarius institutae, sine dubio haemorrhagiae graui nulla machina tortili, cuius usum coniunctio ossis humeri cum scapula non permittit, suppressandae, tribuenda est. Remedia vero, quae veteres Chirurghi contra haemorrhagiam adhibuerunt, vt ferrum candens, linamenta, splenia, fungus, bouista, fasciae arcte constrictae, numquam ad eiusmodi magnam effusionem sanguinis retinendam, sufficiunt. Immortalem ergo sibi peperit gloriam PARRAEVS *) Chirurgus praestantissimus, encheiresi illa, qua arterias dissectas, volsellaque correptas constrinxit, sicque sanguinis effluxum coërcuit, BOTALLVS suo, quod praestare opinatus fuit auxilium, instrumento non obtinuit, illudque ideo obliuioni iam diu est traditum. Arbitratus est enim, vno quasi ictu sine doloribus ossa et carnem praescindi posse, sed difficulter aequalis ossium separatio successit. Inaequali enim et

A 3

aspera

*) in Microtechne §. 17. & ab ipso BOTALLO in operib, ab HORNIO 1660. Lugd. Batav. editis, p. 790.



aspera superficie magis confringebantur ossa, quam plana et polita. Hinc complicationes vulnerum et fracturas fuisse ortas, non est, quod moneamus. Merito contra laudatur instrumentum MORELLI ^{b)} in aegrotorum leuamen et solatium inuentum, quo et arteriarum et neruorum trunci sic comprimuntur, vt ex illis sanguis effluere nequeat, hi autem omni sensu priuentur. Machinae huius tortilis varia ratione emendatae diuerse icones delineatae sunt apud HEISTERVM ^{c)}. Quae cuncta chirurgiae recentioris inuenta etiam hanc operationem multo reddiderunt faciliorem, cuius exempla postea suo loco proponamus.

§. 2.

Antequam vero ad historiam morbi, atque huius a nobis institutae operationis narrationem accedimus, nonnulla de anatomica humeri fabrica exponenda sunt. Constat, hunc ipsum, vt reliqua machinae humanae membra, ex variis iisque diuersis partibus, ex ossibus, musculis, neruis, vasis, glandulis et integumentis communibus, compositum esse. Eas vero tantummodo hic tangamus partes, quarum recta cognitio alicuius in hac operatione feliciter exercenda, momenti est. Praeter integumenta communia, glandulasque minores, per totam corporis superficiem dispersas, muscoli, nerui, vasa et ossa in primis consideranda sunt.

Nouem muscoli motum varium brachii efficiunt; e quibus brachium sursum mouent *Deltoides*, *supraspinatus*, *coracobrachialis*. *Deltoides* musculus satis crassus, figurae fere triangularis, ortus a parte media et posteriore clauiculae, ab acromio et scapulae spina, vsque ad ossis humeri anterior-

rem

b) Libr. Anonym. l'art de seigner. c. 20. p. 322.

c) Instit. Chir. T. I. Tab. III. V. VI. et T. II. Tab. XIV.

Chir. 227, 54



rem partem excurrit, ac fibris suis tendinosi lineae eminenti, a tuberculo maiori sub capite ossis humeri excurrenti, adhaeret. *Supraspinatus* replet totam fossam supraspinatam, a qua ortus sub acromio super caput ossis humeri ascendit, et tendine suo sulco superiori tuberculi maioris inseritur. *Coracobrachialis* siue perforatus Casserii, a processu coracoideo excurrente, inque itinere arcte amplectens caput breuius muscoli bicipitis, quo deinde relicto, eminentiae asperae, a tuberculo minori capitis ossis humeri extensae, adhaeret. — Brachium deorsum et antrorsum ducit, *Musculus pectoralis maior*. Hic musculus satis amplus et crassus portione claviculae ab anteriore margine claviculae oritur, et portione thoracica exit a marginis sterni ea parte, cui omnes costae verae adhaerent. Tangit etiam tendinem latum muscoli abdominis obliqui externi, et fibris suis versus finem in stratum angustum, et quasi contortum, collectis, ad os humeri excurrit. Fibrae huius musculi tendinosae in medio totius sterni, qua longitudinem, cum oppositi musculi fibris sese decussant, et hac ratione aponevrosin efficiunt, supra sternum expansam, eique firmiter adhaerentem. — Brachium retrorsum ducunt *musculus teres maior*, et *latissimus dorsi*. *Teres maior* est musculus crassus oblongus, qui ab angulo inferiore scapulae incipit, et tendine suo inter eminentias ossis humeri affixus est. *Latissimus dorsi* tendine lato originem ducit a quatuor infimis costis spuris, a sex vertebrarum dorsi processibus spinosis, vel octo inferiorum omnium vertebrarum lumborum, ossis sacri et a posteriore parte spinae ossium ilei. In graciliores fibras concretus, tandem ad angulum scapulae inferiorem ascendit, et tendine suo cum tendine musculi teretis maioris confluit, et demum parti superiori et interna ossis humeri adhaeret. — *Brachio* motum circulatorium conciant

B

liant



liant *musculus subscapularis, infraspinatus, et teres minor*. *Subscapularis* subiacet scapulae eiusque totam superficiem internam concavam explet. A superficie tota interna et margine triangulari exit, ac fibris suis in varios fasciculos pyramidales collectis, et antea tendinosis factis, in eminentia parua anteriori ossis humeri terminatur. *Infraspinatus*. Hic nascitur musculus a fossa scapulae infraspinatae omni ambitu, atque a margine inferiore scapulae. Initio latiore exit, decursu vero triangulari, sensim sensimque gracilior, posteriorem partem eminentiae paruae anteriori ossis humeri adhaeret. *Teres minor* intra musculum infraspinatum et teretem maiorem exit, a margine inferiore scapulae, vsque ad tuberculum maius ossis humeri.

Nervorum cervicalium par quintum, sextum, septimum, et octauum inter se confluentes, assumpto ramo magno primi paris nervorum dorsalium, *plexum* sic dictum *brachialem* efficiunt, e quo sex nerui brachiales prodeunt: nimirum *Nervus axillaris* siue *articularis*, qui collum ossis humeri ambit, per musculum triangularem brachii dispergitur, et ramos ad ligamentum capsulare capitis ossis humeri praebet, ramulis plurimis musculis vicinis scapulae inferitur. *Nervus cutaneus brachii externus* partem superiorem musculi coracobrachialis perreptat, a superiori parte versus inferiorem oblique eundem ramis nonnullis perforat. Inter musculum bicipitem et internum brachii, inferiora versus, sub integumentis communibus ad flexuram cubiti descendit, supra hanc expansus prope venam medianam sub cute, in latere externo antibrachii, ad pollicem vsque, procurrit, ibique ramulis suis in cute euanescit. *Nervus cutaneus brachii internus*, admodum exiguus, in humeri latere interno, descen-



descendit, cute et musculis obtectus, in duos diuiditur ramos, qui simul vsque ad cubiti flexuram excurrunt. Tunc autem ramus anterior prope venam basilicam sub cute, inter musculum palmarem longum, et radiaicum internum, in palmam exit, eiusque cuti inseritur; ramus posterior exit, secundum superficiem internam antibrachii, intra cutim et musculum cubitaeum internum, ad digitum minimum, vbi in cute dispergitur. *Nervus medianus* radicibus suis vasa axillaria intercipit, simul cum arteria brachiali in latere interno musculi bicipitis brachii, ad cubitum descendit; inde ducitur secundum longitudinem antibrachii, inter musculum brachiaeum internum, pronatorem rotundum, atque inter perforatum et perforantem digitorum, sub ligamento carpi interno in palmam; surculos paruos vbique in musculos manus spargit. Rami extremi eius neruos digitales formant. *Nervus cubitalis* descendit in latere interno brachii inter arteriam brachialem et venam basilicam. Tunc autem sub cute inter condylum internum humeri, et olecranium, longius excurrit, et in extremitate antibrachii anteriori in duos ramos seiungitur, in *maiolem*, seu *cubitalem internam*, et *minorem* s. *cubitalem externam*. *Nervus radialis* statim retrorsum ad os humeri excurrit. Tunc in latere externo humeri inter musculum brachii internum et externum, ad flexuram vsque descendit, deinde inter musculum manus supinatorem longum et breuem, ad extremitatem posteriorem seu superiorem radii. In hoc itinere in musculos vicinos varios ramos emittit, ante diuisus in duos ramos, *maiolem* scilicet et *minorem*. Quorum ille inter extremitatem posteriorem radii, et musculum supinatorem breuem transit, hic autem secundum radium inter musculum supinatorem longum manus, et radiaicum externum, ad dorsum manus venit.



Arteria axillaris ex subclauia oritur, sub tendine musculi pectoralis maioris emittitur, in brachio *brachialis* nomen naeta. Varios ramos satis notabiles arteria axillaris edit, e quibus hic potissimum thoracicos externos, subscapularem, atque circumflexos humeri nominandos esse censui. Postquam in cubiti flexuram sub expansione tendinea musculi bicipitis peruenit, diuiditur in *arteriam cubitalem* et *radialem*, ex quibus illa primum emittit arteriam cubitalem recurrentem, cum arteria laterali brachii, ex arteria brachiali emissa ad humerum redeuntem; deinde arteriam interosseam in externam et internam rursus diuisam, postremo arcum palmarem, arterias digitales producentem: haec autem, quae penes radium in volam manus descendit, arterias digitales emittit, et in parte media antibrachii arteriam radialem recurrentem.

Venae extremitatum superiorum hunc in modum e ramulis in ramos confluunt. *Venae digitales* sanguinem suum euacuant in *venam* cephalicam pollicis manus, quae supra superficiem manus externam pone pollicem, recurrit, sanguinemque suum in *venam* radialem externam iniicit, porro in *venam* saluatellam, recurrentem a latere digiti minimi, cum priori vnitam, et sanguinem suum in *venam* cubitalem internam et externam euacuantem, in *venam cephalicam maiorem, basilicam, medianam*. *Vena cephalica maior* haeret in superiore parte antibrachii, et nascitur ex coniunctione venae radialis externae et medianae cephalicae minoris. *Vena basilica* ascendit in facie inferiore humeri, et prodit ex confluxu venarum cubitalium externarum et internarum, venarum satellitum, quae arteriam brachialem vsque ad flexuram cubiti comitantur, et vtrinque venae profundae superiores in musculos vicinos distribuuntur. *Vena mediana* haeret

ret



ret in parte media antibrachii, et prouenit ex coniunctione *venae medianae cephalicae maioris, venae profundae inferioris, venae radialis internae*; ascendit in flexuram cubiti et ibidem coniungitur cum vena cephalica magna et basilica. Quae venae, nunc enumeratae omnes, concurrunt demum in humero in *Venam brachialem*, quae in superficie interna humeri ascendit vsque ad cauum subaxillare; dum hoc ipsum ingressa est, nominatur *vena axillaris*. Haec simul recipit venam thoracicam superiorem et inferiorem, venam muscularem et venas scapulares internas et externas; dum sub clauiculam peruenit, nomen pristinum pariter mutat et vena subclauia dicitur.

Offa denique brachii ex tribus constant partibus, ex humero, radio cum ulna, et manu. Os humeri in primis hic considerandum, cum caput eius ex articulatione humeri, quae arthrodiæ nomen iure meretur, extirpatur, disseccando simul ligamenta eiusdem ac tendines musculorum, huc venientium.

Ligamenta ossis humeri. Extremitas humeri superior connexa est cum cavitae scapulae glenoidea, per *Ligamentum capsulare humeri*, quod initio circulari a capite humeri exit et vndique etiam margini cavitatis glenoideae scapulae adhaeret. In superiore huius ligamenti parte apertura longitudinalis deprehenditur, per quam tendo secundus musculi bicipitis ad partem superiorem huius cavitatis articularis deorsum ducitur. Ligamentum nunc commemoratum, insuper quoque augetur fibris tendineis tendinum musculorum vicinorum.

§. 3.

Aegrotus, cuius ossis humeri extirpationem, feliciter peractam, iam enarraturi sumus, vir fuit mediae aetatis, qua-

B 3

dra-



draginta quatuor annorum, temperamento sanguineo cholericco. Aetas eius virilis morbis fere assiduis ita fuit perturbata, vt corpus robustum antea, atque laboribus ruralibus subactum, mollitiem, laxioremque fibrarum compagem, contraheret. Qui ipse corporis habitus laxior et squalor, eo facilius potuit oriri, cum constet vitae laboriosae cum quietae mutationem celerem, primariam humorum dyscrasiae et solidorum laxitatis causam esse. A labore enim duro, agresti, cui aegrotus noster erat assuefactus, ipsum auocauit militia, cui adscriptus erat, in qua cum subpraefecti, seu decurionis, affectus esset dignitatem, ab illis quoque abstinuit laboribus, quos milites gregarii saepius obire solent. Talem vitae rationem, sedentariam magis quam exercitationibus iunctam, infarctibus et viscerum obstructionibus, praecipue si victum militibus gregariis consuetum, consideraueris, fauere, facile patet. E legione pedestri tandem dimissus, ad pristinum laborem quidem, paulo tamen serius, rediit. Sed huiusmodi operae, diu relictas et prorsus insuetae, artus rigidiores non roborarunt, sed defatigarunt potius. Quam vitam laboriosam, necessitate coactus, mox cum quietiore mutauit. Morbos autem, quibus forte annis iuuenilibus obnoxius fuerit, saepius expiscari studui, sed frustra, ne verbum quidem ab ipso audiui, siquidem persancte testabatur, se nec labe venerea, nec morbo exanthematico, nec alio grauiori malo, in primis cum humorum infectione coniuncto, vnquam laborasse. Anno vero aetatis suae 39, ex silua ligna reportans, et domum rediens fugaces in flexura cubiti sentit dolores, quos, cum rheumatismo vago tribueret, parui habuit, nec medicina ipsis occurrere studuit. Post aliquod vero tempus, dolores illi increuerunt, articulus tumidus fit, phlegmone prodit. Doloribus valde cruciatus, auxilium ab chirurgo quaerit, praebentur remedia, aegro-



aegroto ignota, quae nihil attulerunt leuaminis. Tumoris enim in dies aucti dolor increuit, qui tandem in suppurationem abit, pure exitum sibi parante. Pus vero malignum admodum, foetidumque ex cubiti flexura profluit, quae pertumida excrescentiis fungosis largiter obseffa, figuram corymbi refert, sinus indies suboriuntur plures, ita quidem, vt tota articulatio vlnaris perforata appareret, ac frustula ossis destructi, ac carie soluti, interdum prodirent. Statim post exortam suppurationem, pure vero adhuc latente, febris hecticae sese manifestant indicia, cum habitu corporis cachectico cum marcore, pedumque oedematibus, stipata; quae statim, exitu puri a natura parato, euanuerunt. Natura quidem in damno resarciendo occupatissima, spem, quam excitarat, viribus destituta, explere nequit. Medicamenta tunc temporis a medico exhibita, sedimentum quidem ex vrina deiecerunt, cum febris hecticae tamen notabili augmento.

Iam equidem, tanquam Chirurgus militaris, ad aegrotum arcessitus, brachium vsque ad musculum deltoideum penitus induratum et fere ossificatum reperi, odor spargebatur foetidissimus, tanta ossium sub sinibus destructio, vt nulla omnino sanatio, nisi ab extirpatione, expectari posset. Vires satis debiles ac exhaustae, non quidem a primarum viarum debilitate, quae, vt excretiones aluinae testabantur, satis vigeabant, sed maximam partem, ab agrypnia, consumtae, vt et alia virium nondum plane suppressarum signa, oculi adhuc viui, quam maxime extirpationem suaserunt. Cum vero iam consilium de operatione instituenda cepissem, aegrotum hunc in modum ad hoc opus praeparauit. Siquidem autem indicatio vitalis in primis vrgeret, de viribus augendis praecipue laborauit. Itaque praemissis euacuationibus primarum viarum, pro virium
con-



conditione, lenibus, de somno reuocando ante omnia cogitabam, neque spem opiata, parca dosi adhibita, deceperunt. Nunc cortex peruuianus praecipuum constituit remedium, cuius auxilio intra tres septimanas, tantas vires aegrotus recepit, quantae ad amputationem, et sustinendam, et feliciter sanandam, necessariae erant. Aegrotus satis corroboratus, vitaeque illius miserae pertaesus, amputationem a me flagitabat, quam suscipere ipse non diutius haesitavi. Praesentibus ergo Doct. ISAC, Physico urbis Zwicauiae, Chirurgis ciuitatis, et quibusdam Chirurgis militaribus, audacter ipsam institui. Priusquam vero in hac describenda ulterius progrediar, alias methodos in hac humeri amputatione hucusque vsitatas, breuiter commemorare, minime a re alienum esse putauit.

§. 4.

In hoc argumento sequamur Cl. DAHLIVM^{a)}, qui optime ita scripsit: „non nisi nostro saeculo demum fuit de extirpatione humeri cogitatum: cuius quidem inuentae chirurgiae „gloria communiter HENRICO LE DRAN, HENRICI FRANCISCI „patri, tribuitur: falsum tamen hoc esse, atque IOANNEM „MORANDVM potius esse eius inuentorem, ex egregio libro^{b)} apparet; Et G. DE LA FAYE scribit, ^{c)} MORANDVM „patrem primum illam extirpationem exercuisse, deinde DRANIVM patrem. Permulti, sic DAHLIVS pergit, alii auctores, velut

a) in Disput. Inaug. de humeri amputatione ex articulo, quae prodiit Goetting. 1760. 4. §. 5. p. 10.

b) *Recherches critiques et historiques sur l'origine, sur les divers états & sur les progrès de la chirurgie en France. Paris 1744. p. 611.*

c) in Lib. *Cours d'opérations de chirurgie, par DIONIS. p. 758.*



„velut PLATNERVS ^{d)}, prorsus silent de MORANDO, quasi nihil
„praestitisset;“ et DRANIVM saltem commemorant. Ab eodem
auctore discimus LA FAYE, qui in Dionysiano libro MORANDVM
inuentorem fuisse professus est, nunc, quod miramur ^{e)} vbi
mentionem huius rei fecit, MORANDVM ne quidem nomina-
se, sed DRANIVM dummodo, eique non obscure inuentionem
tribuisse: Haftenus ille. Quod vero ad b. PLATNERVM atti-
net, errorem a patre commissum ingenue fassus est, et corre-
xit ERNESTVS filius, ^{f)} hac de re certior factus ex l. c. ^{g)}
et annotatione quadam ex alio libro ^{h)}. Pergamus nunc ex
DAHLII diss. cit. de DRANII SENIORIS methodo ⁱ⁾. „Acus
„quaedam recta pergrandis, filum crassum ceratum ducens,
„proxime infra axillam iuxta os humeri inter hoc et carnem
„traicitur, et funiculus transmissus super omnem carnem et
„cutem comprehensam in nodum chirurgicum, subiecto lin-
„teolo conuoluto minore, constringitur adeo, vt arteriae pul-
„sus in brachio ex toto conquiescat. Quo facto, scalpello
„recto et acuto, partes molles vsque ad articulum, una cum
„omnibus ligamentis eum circumdantibus, subsecantur. Denu-
„dato, quantum necesse est, articulo, brachium leniter attol-
„litur, vt scalpellum possit inter os et carnem demitti, quo
„deorsum versus separatur os, donec infra illam ligaturam,
„qua caro cum cute et vasis comprehensa, peruentum sit.
„Quod superfluum est de cute et carne abscinditur; Postea-
que

d) *Instit. chirurg.* pag. 144. §. 251.

e) *Memoir. de l'acad. de chirurg.* Tom. II. p. 239.

f) in *Supplementis ad instit. chir. patris.* p. 240.

g) *Récherches sur l'origine & les progrès de la Chirurgie en France.* p. 61.

h) DE LA FAYE *Annot. ad DIONIS chirurgiam.* S. 757. T. II. edit. an. 1782.
Vid. BELLS *Lehrbegriff der Wundarzneykunst* 5ter Theil. p. 459.

i) H. F. LE DRAN *observations de la chirurgie.* T. I. p. 315. n. 43.

C



„que arteria infra axillam filo et acu denuo constringitur, com-
 „prehensa simul aliqua carnis portione. Atque nunc demum,
 „quod infra hanc supremam ligaturam est, dissecatur, et arti-
 „culi cauitas linamentis siccis repletur; applicatis, quae super-
 „sunt, carnis portionibus. GARENGETI et ex PETITI ingenio
 „methodus extirpandi emendata, haec est. Loco acus ma-
 „ioris rectae, anceps curua eligitur, omni insuper cautione im-
 „mittenda, ne arteria vulneretur; nodo super carne facto, nul-
 „lum linamentum subiicitur, brachium sic extenditur, vt cum
 „corpore angulum rectum efficiat. Si vasa maiora, pone
 „axillam forsan, propter tumorem, inueniri non possunt,
 „vtrinque carne secundum longitudinem brachii incisa, de-
 „bent peruestigari. Post factam arteriae ligaturam, brachi-
 „um demittitur, vt cutis relaxetur, musculus deltoideus vna
 „cum cute prius retracta, duos vel tres digitos latos infra
 „acromium, brachio antea leniter sublato, praeciditur, et
 „satis magna portio musculi sic seruatur; cui etiam frustum
 „illud ad axillam spectans accommodatur. LAVR. HEISTERI
 methodus cum Garengotiana conuenit, in eo tamen DRAN-
 NIUM sequitur, quod acum rectam commendat, plumaceo-
 lam vero et splenium non vult cum DRANIO, vt arteriae et
 ossi adhibeas, sed potius vt carnes mox scapulae sinui applicen-
 tur, hisce autem deinde linamenta et splenia superimponantur.
 Tali enim modo carnem cum ossibus citius in vnum conflue-
 re posse putat. Methodum GARENGETIANAM b. PLATNERVS
 breuissime contraxit ^{k)}. Nimiae vero breuitatis iniustae accu-
 satur Ille a DAHLIO ^{l)}, immemore in compendio chirurgiae
 nec posse, nec debere, omnia vberrime explicari. SAMVEL
 SHAR-

^{k)} in *Instit. Chirurgiae*. §. 257.

^{l)} *Dissert. cit.* §. IX.

„SHARPIVS ^{m)}), narrando pergit DAHLIVS, cutem vult mem-
 „brana adiposa inde a superiori parte humeri dividi, sic vt
 „vulnus cum musculo pectorali decussans, descendat vsque ad
 „eum locum, qui infra axillam est: deinde cuspidem scal-
 „pelli iubet sursum versus adduci, illumque ipsum musculum,
 „vna cum parte aliqua deltoidis disseccari, vt in conspectum ve-
 „niant maiora vasa, fortiore ligatura nunc constringenda; at-
 „que tum demum incisionem circularem per articulum fieri,
 „et vasa longe infra ligaturam praecidi. LA FAYE musculum
 „deltoideum eo loco, vbi tres vel quatuor digitos transuersos
 „ab acromio distat, transuersim praecisum, antice et postice
 „secundum longitudinem dissecat. Eo frusto, quod summum
 „humerum spectat, nunc ex toto separato, capitibus muscoli
 „bicipitis seiunctis, vasisque filo constrictis, reliquisque car-
 „nibus ad tres digitos transuersim infra ligaturam dissectis,
 „os humeri ad se ipsum ductum extirpat. Frustum illud mu-
 „sculi deltoidis, ante extirpationem separatum et reclinatum,
 „quod remanet, apte tegit totam cauitatem glenoideam, vt
 „non nisi semicirculare vulnus remaneat, ex cuius inferiore
 „parte extremitates fili dependent, quo ligatura iniecta est.
 „DRANII emendationem suae methodi, qua humerum prius
 „ex toto amputare vult, deinde ligaturam iniicere, valde re-
 „prehendit LA FAYE ⁿ⁾). Clariss. BROMFIELD, referente DAHLIO ^{o)})
 in interiore sede humeri haud procul ab articulo scapulari,
 proxime ad os incisionem facit, trium quasi digitorum trans-
 uersorum longam, ope cultri recti, et in vulnus digitum de-
 mittit ad arteriam, qua inuenta, arteriam a vicinis partibus,
 cultro nodulo praemunito, supra infraque summo cum studio

C 2

sepa-

^{m)} in the *Treatise on the Operations of Surgery* p. 221.

ⁿ⁾ *Memoir. de l'acad. de Chirurg.* T. 2. p. 299.

^{o)} *Diff. saep. cit.* §. XII.



separat, ne eandem forte laedat. Arteriam iam nudatam filo circumducit duplici, vno paullo superius, altero paullo inferiorius applicato, quo securior a sanguinis profusione esset. Nunc in exteriori humeri parte etiam integumentis, primum longa, deinde transuersa directione, vna cum musculo deltoideo, incisis, musculum ab osse, vsque ad superiorem suam extremitatem, seiungit, hocque frusto ab adstante leuato, ac arteriola in hoc musculi latere excurrente, compressa, ad ossis ex articulo extirpationem procedit. DAHLIVS machinam tunc, in eum vsum, vt arteria subclauia comprimatur, inuentam, et in dissertatione sua delineatam, clauiculae adhibet, carnem deinde a superiori humeri loco primum intus, deinde extus, oblique paululum, vsque ad insertionem musculi deltoidis, incidit, vt vulnus in infimo loco quasi confluat, et frustum quoddam fere triangulare formetur, cuius apex deorsum vergat. Quo frusto ab osse supra articulum vsque separato, vbi annexum relinquitur, musculi, ex vtroque latere ossis decurrentes, etiam soluuntur et dissecantur vna cum tendine musculi bicipitis, processui coracoideo infixi. Alter huius musculi tendo nec mitiorem experitur sortem. Os solum nunc extrorsum ducitur, vt arteria possit peruestigari, quem in finem machina tortilis paululum relaxatur. Arteria nunc, supposito linteo conuoluto, debet constringi, et os, frusto carnis inferiori dissecto, exsolui. Commemoranda est quoque Diss. ELIÆ FRID. HEISTERI de brachium amputandi ratione, Helmstadii 1738., quam nobiscum beneuole communicauit Praeceptor optimus, Celeberrimus BOEHMERVS, in qua describitur amputatio secundum methodum DRANIANAM ab Auctore instituta. At os non ex articulo excisum fuit, sed ferrula praecisum. Ceterum quoque vasa nec machina tortili, nec fascia fuerunt compressa, filo sub ala constricta.

§. 5.

§. 5.

Variis nunc os humeri exstirpandi methodis enarratis, reliquum est, vt et meam addam, quam lubentissime secundum DESSAVLTI *) ordinem peregissem, tanquam difficillimam, leuissimisque cum doloribus coniunctam; nisi per brachii immobilitatem, ad aliam methodum, illi plane contrariam, tentandam, fuisset coactus. Postquam omnia, ad operationem necessaria, bene composita erant, aegrotum sellae insidere iussi. Quo certior vero de solidarum partium destructione fieri possem, denuo musculos tactu digitorum exploravi, loco simul cui incidendum putabam, et frustis carnosus, quae circumscindi debebant, accurate designatis. Per amicum hunc in finem arcessitum, cum nec instrumentum MOHRENHEMII, nec machina tortilis DAHLII mihi ad manum essent, arteriam subclauiam ibi locorum, vbi inter musculos scalenos prodit, globulo ex linteo contorto, comprimendam curavi, vt omnem sanguinis in eandem affluxum impedirem. Tunc scalpellum acie conuexa, dorso vero vsque ad apicem acuto, ibi immisum est, vbi caput breuius musculi bicipitis inseritur, incisione semicirculari ad latus oppositum brachii interni facta. Musculis vsque ad articulationem separatis, scalpellum DESSAVLTI ad profunditatem digiti fere transuersi, immisi superiori parti ligamenti articularis, illoque aliquoties extrorsum introrsumque leniter moto, superiorem ligamenti articularis partem separavi. Brachium nunc leniter expandere iussi, vt spatium intra caput ossis humeri et cauitatem glenoideam efficerem, quo scalpellum intrare posset. Hoc ergo transuersim per ligamentum articuli ducto, eiusdemque lateribus ac parte inferiore dissectis, scal-

C 3

pel-

*) HASELBERG Comment. chirurg. in qua nouam humerum ex articulo exstirpandi methodum proponit. Gryphsw. 1788. 8.



pellum ad os quam proxime duxi, aliudque frustum triangulare, superiori prorsus simile, excidi. Priusquam vero cultro partes carnosas prorsus penetrarem, manum sinistram, qua vasa comprimebantur, pone illum ponebam, partemque musculosam, qua vasa maiora tecta erat, ante manum dissecui. Hac ergo ratione aegrotus perparum sanguinis amisit. Duobus filamentis, ex filo satis crasso confectis, arteriam subaxillarem eiusque ramos constrinxi. Frustra conglutinata sunt tribus cruentis repagulis, truncus linteo carpto obtectus, splenium charta bibula, oxycrato madidum, regioni, in qua motus arteriae axillaris pulsans percipitur, impositum, sanguinem ibidem coercuit. Spleniis maioribus eodem modo paratis, omnis truncus tegebatur, et fasciae, ex panno aspero, superinductae sunt. Maximam mihi semper vtilitatem splenia, e charta bibula, et humectata, praestiterunt, vt ideo maiorem laudem ac commendationem illis, quae e linteo conficiuntur, mereantur. Primo enim flexilia sunt, ideoque facilius, quam linteae, membrum amputatum circumducunt, deinde leniori magis simulque aequaliori compressione agunt, denique diutius humorem retinent.

§. 6.

Brachium exstirpatum enormem referebat magnitudinem 19 libras cum dimidia pependit. Diameter supra cubitum, spatium vlnae dimidiae expleuit. Ossa circa cubitum, prorsus fere destructa erant, carieque consumta. Aegrotus ceterum post exstirpationem mediocriter se habuit, a doloribus haud grauius cruciatus. Minorem virium consumptionem, ac a tanto vulnere expectandam, obseruauimus, vultus contra serenus animum hilarem prodidit. Mirum vero omnino fuit, quod aegrotus brachii, corpori adhuc adhaerentis pondus sibi per-

percipere videbatur. Doloribus, quibus cruciabatur, tincturae thebaicae viginti quinque guttulis lenimen adferre studui. Vi opii vero dissipata, et nervis e sopore excitatis, dolor redibat per decem dies, eodem semper modo, mitigatus. Emulsionem ex amygdalis dulcibus, cum saccharo et nitro, ipsi pro potu consueto, propinandam curavi. Tempus pomeridianum illius diei, qua exstirpatio instituebatur, iam appetitum paullo vegetiorem aegroto conciliauit. Somnus lenis, versus vesperam rediens, pulsus reliquit paullo celeriore, sed nec siti, nec calore multo stipatum. Nox insequens aegroto valde fuit amica, et somno aliquot horarum egregie fuit resectus. Dolorem, quo modice quidem vexabatur, merito a neruulo, simul cum arteria constricto, deriuamus. Nec minus altera dies ipsi laeta arrisit, a pulsu si recesseris, versus vesperam paullo celeriore, quem tamen spontanea alui euacuatio paullulum composuit. Appetitus paullatim increfcens, et modice extinctus, quietem noctis minime turbauit. Tertia die sanguis fugillatus et per anni tempestatem calidiorum in putredinem conuersus, me de ligatura relaxanda admonuit, cui operi intentus sequentem vulneris obseruauit statum. Labia erant conglutinata, facies et color trunci, ipsa puris conditio, eiusdem consistentia, color, et odor, nil nisi bonum euentum praenunciarent. Ad suppurationem nunc augendam, Balsamum Arcaei, Balsamo Commendatoris de Perne commistum adhibui. Aegrotus vero, cum vires constarent, statim post recentem ligaturam, lectum relinquere voluit, quod ipsi vero, cum sub motu corporis aucto motuque sanguinis, celeriore, partem tam grauiter vulneratam, turbari posse omnino putaremus, nullo modo concessimus. Haec dies febris fortioris pene expers, indicationem de viribus propter largam pyogeniam fulciendis, confirmauit.

Medi-



Medicamenta roborantia cortex Chinae inprimis, exhibita sunt. Cum vera natura eius puluerem Chinae haud ferret, substitui-
 mus eiusdem extractum in Aqua Cinnamomi solutum, et sy-
 rupo Cortic. aurant. mixtum, cuius mixturae dosin, cochlear
 culinare, quater per diem propinauimus. Cremoris Tartari
 aqua soluti potus aluum liberam seruauit. A die quarto us-
 que ad septimum febris sensim decreuit, et aegrotum satis,
 pro re nata viribus resectum, et lectum relinquere gesti-
 entem, lubenter motum lenem, morbo accommodatum, conce-
 dendo, votis fecimus compotem. Doloribus, quibus saepi-
 us adhuc vexabatur, nunc per suppurationem largiorem, qua
 arteriae constrictae decimo quarto die laxabantur, decreuerunt,
 simulque sensatio pristina, brachii adhuc cum corpore coniun-
 cti, cessauit. Ego vero itinere ad Thermas Carolinas implici-
 tus, curam huius aegroti, mihi iucundissimam, non amplius
 regere potui, ipsumque aegrotum Amico, cuius operam et
 studium hic silentio praeterire non possum, tradidi. Redux
 tandem factus, post quatuor septimanas, egregiis progressibus,
 quos in medendo fecerunt, delectatus sum. Vulnus laudabi-
 le pus fudit, cuius labia in medio consolidationem moliebantur.
 Vires, vigentibus omnibus corporis actionibus, in-
 signiter auctae sunt, tandemque sanitas medicamentis robo-
 rantibus, ac diaeta nutriente, restituta est.

Quodsi, coronidis loco, iudicium de causa huius mali
 probabili, ferendum; nobis omnino ad illum morbum, quem
 paullo ante eiusdem ortum in hac ipsa parte perpetiebatur, ad
 phlegmonem arthriticam, recurrendum est. Cum enim materiae
 arthriticae, quae in brachio sedem fixerat, exitus non pate-
 ret, post suppurationem, pus interiora petiisse, ibique, vt
 saepe in ischiade, aliisque malis arthriticis, profundiorum
 in-

inprimis locum occupantibus, fieri solet, ipsa ossium integumenta, tandemque ipsa ossa affecisse, cariemque induxisse videtur. Haec saltem probabilis causa, licet est lymphae, eiusque vasis, vel humorum corruptioni, aliquales etiam partes in grauitate morbi augenda tribuendas esse, minime negaturi sumus.

Aphorismi Controuersi.

- I. Obstructiones in vasis sanguiferis facilius resoluuntur, quum in vasis lymphaticis.
 - II. Pulmones sese non mouent, sed mouentur.
 - III. Morbi chronici crisibus quoque gaudent.
 - IV. Accurata diaeta dimidia morbi sanatio.
 - V. Hydragoga hydropem funditus non curant.
 - VI. Lues venerea sine saluatione curari potest.
 - VII. Purgantia sunt egregia remedia antarthritica.
 - VIII. Sine anatomia clinica claudicat.
-



AMICO SVO CARISSIMO
DNO. S E E B V R G

S. P. D.

T I E T Z E N

LVSA | V | SVPERIOR.

Amicitia nostra in hac Academia, quam una adire, una relinquere nobis contigit, Tecum, AMICE SVAVISSIME, contracta, certe pro mea parte, firmissima erit. Hinc hodiernus dies, TIBI festivus mihi iucundus, omnino postulat, ut paucis hisce, quantopere animo commotus sim, TIBI demonstrarem. Iam TE videbis summis in Medicina honoribus condecoratum, hoc, ut Deus TIBI fortunare velit, ex animo opto. At si TE quondam omni, quae sorti humanae contingere potest, felicitate, videbis circumfusum, noli obliuisci TVI amantiissimum.

Shirweg. 327, 50.